Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conceptione B. V. Mariae - Cod. Aug. pap. 55

[Reichenau ?], 1438-1439

Sententia synodalis

urn:nbn:de:bsz:31-98904

Visual Library

Sententia Synodalis

Sacroſancta generalis Synodus Baſilienſis
in ſpiritu ſancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repreſentans
ad perpetuam rei memoriam elucidantibus divine gracie miſteria
mercedem glorioſam repromiſit eterna dei patris ſapiencia dum ait
Qui elucidant me vitam eternam habebunt Quod eciam de glorioſa
virgine que ipſam patris ſapienciam dei filium eternum in utero pertulit
ac mundo peperit ſacroſancta legit eccleſia nam quicquid de dignitate
et ſublimitate virginis matris educitur in lucem hoc non dubium eſt ad
laudem et honorem filii ſui pertinere Et qui honorificant graciam et
ſanctitatem matris honorificant et elucidant glorioſum nomen filii
eius qui ipſam ſanctificavit et replevit gracia Unde ſi in ceteris
rebus elucidacio veritatis que a domino deo eſt preclara merita parturit
in ea re ſpecialiter fructus uberrimos afferre ſperanda eſt que ſancti-
ficacionem et dedicacionem templi illius concernit in quo ante ſecula
antequam terra fieret et ab eterno ſibi manſionem ordinavit prima
et eterna veritas Atque maxime congruit ut pax habeatur in queſtioni-
bus concernentibus ſanctitatem illius per quam pax diffuſa eſt in terris
hactenus vero difficilis queſtio in diverſis partibus et coram hac
ſancta ſynodo ſuper concepcione ipſius glorioſe virginis marie matris
dei et exordio ſanctificacionis eius facta eſt quibuſdam dicentibus
ipſam virgineam ac eius animam per aliquod tempus aut inſtans
temporis ſubiacuiſſe actualiter originali culpe Aliis autem con-
verſo dicentibus a principio creacionis ſue deum ipſam diligendo graciam
eidem contuliſſe per quam a macula originali illam beatiſſimam
perſonam liberans et preſervans ſublimiori ſanctificacionis genere re-
demit cum fundaret eam ipſe altiſſimus et ipſam fabricaret filius
dei patris ut eſſet mater eius in terris Nos vero diligenter inſpectis
auctoritatibus et racionibus que iam a pluribus annis in publicis relacionibus
ex parte utriuſque doctrine coram hac ſancta ſynodo allegate ſunt
aliiſque eciam plurimis ſuper hac re viſis et matura conſideracione pen-
ſatis doctrinam illam diſſerentem glorioſam virginem dei genitricem
mariam genitricem preveniente et operante divini numinis gracia ſingu-
lari nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato ſed immunem ſemper
fuiſſe ab omni originali et actuali culpa ſanctamque et immaculatam
tamquam piam et conſonam cultui eccleſiaſtico fidei catholice recte racioni
et ſacre ſcripture ab omnibus catholicis approbandam fore tenendam
et amplectendam diffinimus et declaramus nullique de cetero licitum
eſſe in contrarium predicare ſeu docere Renovantes preterea inſtitucionem de
celebranda ſancta eius concepcione que tam per Romanam quam alias ec-
cleſias vi idus decembris antiqua et laudabili conſuetudine cele-

brat' ſtatuimus et ordinamus eandem celebritatem prefata die
in omnibus eccleſiis monaſteriis et Conuentibus xpiane religionis
ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendam eſſe Cunctiſque fi
delibus vere penitentibus et confeſſis ea die miſſarum ſollempnis ce
tium primis aute uel ſecundis veſperis totidem Sermoni aut verbi
diuini de ea feſtiuitate inteſſentibus centum quinquaginta dies con
ceſſione perpetuis temporibus duratura de iniunctis ſibi penitencijs
hec ſancta Synodus elargitur Dat' in ſeſſione nra publica in
maiori eccleſia Baſilien ſollempniter celebrata xv kl. octobris Anno
a natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono·

In vigilia Conceptionis bte marie vir
ginis ad vs an Conceptio glose Cum
reliquis de laudibus ps de sca maria
Capitulum

ominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret a
principio ab eterno ordinata ſum et ex antiquis antequam
terra fieret nondum erant abyſſi et ego iam concepta eram ympnus
Aue maris ſtella ℟ Conceptio eſt hodie ſce marie virginis ps Cu
vita inclita cunctas illuſtrat eccleſias Ad magt Ant Tota pulchra
es amica mea et macula non eſt in te ſicut lilium inter ſpinas
ſic amica mea inter filias viderunt eam filie ſyon et beatiſſimam
predicauerunt et regine laudauerunt eam Oracio

mnipotens ſempiterne deus qui conceptionis diem genitricis filij tui
ſemperque virginis marie voluiſti ſollempnitate annua venerari tri
bue quaeſumus ut omnes qui eius implorant auxilium petitionis ſue ſalu
tarem conſequantur effectum per eundem Ad matutinum Inuitatorium

erbum patris pſeruans alabe proni venite adoremus ps Veni
te ympnus Quem terra In primo nocturno an

enedicta tu in mulieribus per quam eue maledictio eſt ſoluta
et benedictio omnibus condonata ps de sca maria an Sicut
mirra electa et aromatizans balſamum maria virgo ſemper
ſuauem diffundit odorem an Ante thorum huius virginis de ſua
ſemper innocentia dulciſſima reſonemus cantica ℟ Spe tua

Ex decreto ſacri baſilien concilij lectio prima

Sacroſancta generalis ſynodus baſilien in ſpu ſco legitime congre
gata uniuerſalem eccleſiam repreſentans Ad perpetuam rei memoriam
Elucidantibus diuine gratie myſteria mercedem glorioſam repromiſit
eterna dei patris ſapientia dum ait Qui elucidant me vitam eternam
habebunt Ex ea enim de glorioſa virgine que ipſam patris ſapientiam dei fi
lium eternum in utero pertulit ac mundo peperit ſacroſancta legit ec
clia nam quicquid de dignitate et ſublimitate virginis ma·